









IN FESTO
S. CAMILLI DE LELLIS
CONFESSORIS,
Clericorum Regularium MINISTRANTIUM INFIRMIS Fundatoris.

Introitus. *Joann.* 15.



MAjórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. *Psalmus* 40. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri. *Oratio.*

DEus, qui sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári charitátis prærogatíva decorásti: ejus, quæsumus, méritis Spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, & ad cæléstem mereámur corónam perveníre. Per Dóminum. in unitáte ejúsdem.

Pro SS. Symphorosa & septem Filiis Martyribus. *Oratio.*

DEus, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum, Symphorósæ & filiórum ejus, natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Tertia Oratio. A cunctis, *vel*, Concéde quæsumus.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli. 1. *Joann.* 3. *b*

CHaríssimi, Nolíte mirári, si odit vos mundus. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam diligimus fratres. Qui non díligit manet in morte: omnis, qui odit fratrem suum, homicída est. Et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in semetípso manéntem. In hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: & nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Qui habúerit substántiam hujus mundi, & víderit fratrem suum necessitátem habére, & cláuserit víscera sua ab eo: quómodo cháritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo neque lingua, sed ópere & veritáte.

Graduale. Psalm. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, & lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: & non supplantabúntur gressus ejus. Allelúja, allelúja.

℣. *Psalm.* 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

In Missa votiva post Septuagesimam, omisso Allelúja, *& Versu sequenti, dicitur Tractus. Psalm.* 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória & divítiæ in domo ejus: & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur, Allelúja, allelúja.

℣. *Ibidem.* Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

℣. *Osee* 14. Justus germinábit sicut lílium: & florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.


Sequéntia sancti Evangélii secúndùm Joánnem. *Joann. 15.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid fáciat Dóminus ejus. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quæcúmque audívi à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, & pósui vos ut eátis, & fructum afferátis; & fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Offertorium. Psalmus 20. In virtúte tua Dómine lætábitur Justus, & super salutáre tuum exultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

HOstia immaculáta, qua illud Dómini nostri Jesu Christi immensæ Charitátis opus renovamus, Sancto Camíllo intercedente, sit contra omnes córporis & ánimæ infirmitátes salutáre remédium, & in extrémo agone solátium & tutéla. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Pro SS. Symphorosa & septem Filiis Martyribus. Secreta.

MUnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ & pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, & nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Secreta. Exáudi nos Deus, *vel*, Oblátis, Dómine, placáre.

Communio. Matth. 25. Infirmus fui, & visitástis me: Amen, amen dico vobis; quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.


Postcommunio.


PEr hæc cæléstia aliménta, quæ sancti Camílli Confessóris tui solémnia celebrántes pia devotióne suscépimus, da, quæsumus Dómine: ut in hora mortis nostræ, Sacraméntis reféctí, & culpis ómnibus expiáti, in sinum misericórdiæ tuæ læti súscipi mereámur. Qui vivis & regnas &c.


Pro SS. Symphorosa & septem Filiis Martyribus. Postcommunio.

Præsta nobis quæsumus Dómine, intercedentibus Sanctis martyribus tuis Symphorosa et filiis ejus: ut quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

Postcommunio. Mundet & múniat, *vel*, Súmpsimus, Dómine, beátæ Maríæ.







MISSALE
MONASTICUM